UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

De fuga in Ægyptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

Visual Library

DE PVRIFICATIONE B. Virginis, & pueri Iesv *præſentatione. Luc. ſecundo.*

PRimò: Detulerunt puerum in templum, vt præſentarent eum Deo, tanquam primogenitum, offerentes pro eo conſuetum munus; (par turturum, aut duos pullos columbarum.)

Secundò: Simeon veniens eadem hora in templum (accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Devm & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c.)

Tertiò: Anna (ſuperueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrahel.)

DE FVGA IN ÆGYptum. Math. ſecundo.

PRimò: volens Herodes Puerulum Iesvm interficere, occidi fecit in-

nocétes, præmonito Ioſeph per Angelum, vt in Ægyptum profugeret. (Surge & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.)

Secundò: iter corripuit Ioſeph Ægyptum verſus (qui conſurgens, nocte, &c. ſeceſſit in Ægyptum.)

Tertiò: (& erat ibi, vſq; ad obitum Herodis.)

DE REDITV AB ÆGYpto. Math. ſecundo.

PRimò: admonetur Ioſeph ab Angelo, vt in terram Iſrael reuertatur. (Surge & accipe Puerum & Matrem eius, & vade in terram Iſrael.)

Secundò (Qui conſurgens, &c. venit in terram Iſrael.)

Tertiò: Eo quod regnabat Archelaus filius Herodis in Iudæa, receſſit in Nazareth.